DE DIABETE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ANNUENTIBUS...

Giuseppe Fabroni

DE

DIABETE
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM ANNUENTIBUS

MAGNIFICO D. RECTORE

AC CELEBERRIMIS FACULTATIS

D. D. MEDICAE DIRECTORE ATQUE DECANO

NEC NON

PRAECLARISSIMIS PROFESSORIBUS

AD DOCTORIS GRADUM IN RE MEDICA

ASSEQUENDUM

IN IMP. REG. UNIVERSITATE PATAVINA

EDIDIT

FABRONI JOSEPH

SACILENSIS

MENSE AUGUSTI ANNI MDCCCXXXI.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXI.

AMANTISSIME PATRUE

Si nec adeo arcta me tibi vincula devincirent, nec adeo constanti ego te obsequio prosequutus fuissem, dubius fortasse haerere possem, cui libellum hunc dono mitterem. Ast hoc qua tua in me caritas, qua meum erga te studium minime patitur. Hinc hujus consilii rationem quisque perspectam habere potest. Et vero non ita ego opusculi qualiscumque laude in aliorum admirationem venire desidero,

quam, si quid mea disciplina valeo, id totum ad aliorum utilitatem impendens benevolentiam et amorem mihi conciliare possim. Nec servile nimium studium turpisque assentatio me ad hoc impulit, sed ea tantummodo mens, ut, quid sentirem, tibi declararem.
Vale.

FABRONI JOSEPH

Morbi definitio.

Hic morbus ab antiquis medicis parum admodum observatus fuit, et Galenus ipse duos solummodo diabeticos in sua praxi vidisse, asserere non dubitavit.

Graeci hunc morbum Διαβήτην, Latini vero Diabetem nuncuparunt; recentiores medici de hac aegritudine fusius verba fecerunt; sed revera cum multa adhuc dicenda remaneant, operae pretium putavi in hac mea disputatione de hoc morbo effari.

Et ut a definitione morbi initium ducam, Diabetes est morbus, in quo, propter urinarum praeternaturalem affluxum et morbosum, lotium adeo copiose et continue ab aegro elicitur, ut quantitatem potulenti assumpti mirum in modum exuberet, et cum urinis oleum ipsum animale, et liquefacta quasi corporis pinguedo, et quandoque chylosae ipsae substantiae per canales uropojeticos morbose separantur; qui morbus vetulis praecipue communis est, et summopere molestus.

Distinctiones Diabetis.

Tres Diabetis species a neotericis distinguuntur.

Prima est, cum aeger urinam naturalem, nec ullo modo morbose affectam, sed exuberanti copia continuo effundit.

Secunda species Diabetis est, cum cito nimis ac frequenter urina ejicitur, quae substantiae paullo ante assumptae formam et colorem retinet.

Tertia demum ea est, quam etiam aliqui scriptores coeliacam prope urinosam appellare non dubitant, in qua chylosae ipsae substantiae per lotium cum ipso commixtae effunduntur.

Haec est luctuosa equidem hujusce teterrimi morbi species, de qua sic Aretaeus scribit: *In hoc morbo miraculi ad instar carnes hominum et pinguedines per urinam separantur, et totum corpus ad consumptionem et marasmum conducitur.*

Symptomata morbi.

Incipiente aegritudine, urinae majori in copiá quam par est, ab aegro sine incommodo separantur, nec ipsae morbosae admodum apparent; ingravescente vero morbo, urinae copia plurimum adaugetur cum continua mingendi voluntate: sitis satis molesta et fere inexplebilis cum faucium ariditate supervenit, et urinae fiunt spumosae val-

de atque albescentes turbidissimae, tunc calor urens et molestus per aegrotantis corpus perfunditur, et anxietatibus internisque molestiis vexatur; si aegrotus a mictione, si fieri potest, sese abstinere putet, ilia et lumbi et perinaeum et ipsi testes tumescunt et dolent; febris insuper aegrotanti quasi hectica supervenire solet, et paulatim toto corpore emaciatur atque tabescit. Anorrexia demum correptus, et totali viscerum chylopojeticorum prostratione et virium universalium inter convulsiones et deliria ad mortem aeger perducitur.

Urinae vero diabeticorum chemice pertractatae, chylosam substantiam, et fere chylum ipsum non immutatum praeseferunt; insuper lacteae quasi et saccharo quam similes inveniuntur, et oleo plurimo natanti superabundantes.

Causae.

Diabetis causae duplicis generis sunt, videlicet aliae externae, aliae vero internae. Atque ut de internis primum dicam, nimia dilatatio cum lassitudine adjuncta viscerum uropojeticorum proxima Diabetis est causa; quod vitium cum ventriculi atonia et viscerum omnium chylopojeticorum fere semper conjungitur, et ideo quasi ventriculi lienteria dici potest, aut certe cum ipsa adsociatur.

Causae aliae insuper quam plurimae ad hunc inducendum morbum concurrere possunt, inter

quas scorbutica dyscrasia eminet, aut etiam scrophulosa, aut syphtilica, purgantium drasticorum abusus, et praecipue intempestivus cantharidum externus atque internus usus, liquores etiam nimium spirituosi, carnes fumo, aut sale duratae per longum temporis spatium assumptae, blennorrhoeae virulentae male tractatae, venus vaga aliaque similia, praesertim in senibus, ad hunc promovendum morbum plurimum conducere possunt.

Prognosis.

Lamius praestantissimus de hoc morbo sermonem habens ait «: Diabetes teterrimus morbus est, in quem ubi quis inciderit fere nunquam salvus evadit, et ab eo diutissime et sine remedio conflictatur ».

Si autem recens et in juvenibus oboriatur, aliquando curari potest; in senibus vero medelam non admittit, et eorum corpus lente consumitur atque liquescit.

Analysis chemica.

Quam plurimi revera experientissimi Chemici Professores diabeticorum urinas chemice pertractarunt; sed ut multa paucis comprehendam, observandum est, quod diabetici siti fere inexplebili laborant, et semper majori copia liquidorum assumptorum per urinam secernunt. Haec urina vero, ut verbis excellentissimi Thenard utar, chemice pertractata, plurimam sacchari copiam con-

tinet, et quod mirum est, nec uricum, nec acidum uricum continet, sed potius portionem aliquam minimam sulphati, et minimam quoque phosphati, quod vix tincturam heliotropii (vulgo tornasole) tingit; uno verbo, in diabeticorum urinis, quod magis conspicuum cernitur, est maxima aquae copia, et multa saccharina materies atque exigua pars salis muriatici dissoluti.

Quod vero praecipue adnotandum in diabeticis, illud est, quod per vias uropojeticas et per exuberantem lotii copiam non solum serum ipsum sanguinis, sed animales substantiae, pinguedo ipsa fere dissoluta, et olea nutrientia animalia separantur, et tandem, quod admiratione est dignum, chylus ipse fere immutatus per urinae profluvium morbose separatur, et aegri corpus ad consumptionem atque marasmum perducit.

In Diabete autem melitico sic dicto, si urinae diabeticorum istorum ad analysim chemicam subjiciantur, teste experientissimo chemico Marabellio, multa equidem veri sacchari copiam exhibent; et revera urina recens saporem saccharinum manifestissimum praebet, qui tamen sapor temporis progressu salus evadit.

Insuper cum Marabellius ipse urinam in melitico Diabete attentius ad trutinam chemicam revocasset, recentem urinam meliticam ad calorem graduum decem et octo thermometri Rheaumuriani exposuit, et duobus transactis diebus haec urina bullas plurimas gas acidi emittebat, turbida fiebat, multaque obscura filamenta deponebat,

odorem satis perspicuum urinosum expirans, et fermentationis alicujus vinosae notam praeseferens, quae substantiarum in quibus principia saccharina plurimum abundare solent, propria est. Sed de analysi urinarum diabeticorum quae dixi satis esse possunt, cum alia quam plurima apud scriptores chemicos in eorum operibus passim inveniantur.

Cura.

Indicationes curativae in Diabete esse debent, et peculiares dyscrasiae et praecipue scorbuticae, scrophulosae, syphiliticae, et nimia viscerum uropojeticorum debilitas opportunis remediis erigatur, et vires etiam stomachi in hoc morbo plurimum labefactatae restaurentur. Ad remedia externa quod attinet, notandum est, quod sanguinis emissiones convenire non possunt, nisi in initio morbi, ubi manifesta existat plethora in juvenibus praesertim, sed numquam in senibus. Quemadmodum vero hic morbus fere semper cum nimia alvi obstipatione conjungitur; ita clysteres emollientes et oleosi locum aliquem habere possunt, formentationes quoque adhibentur ex decoctionibus plantarum adstringentium, et ab ipso cortice peruviano desumptae: semicupia frigidiuscula, et etiam balnea universalia semifrigida praestare possunt effectum: tandem et lutum thermale ad pubem, ad regionem vesicae urinariae, ad perinaeum, multum levaminis afferre possunt.

Sed ut de internis remediis loquar, purgantia certe, praesertim drastica, non conveniunt, et lenioribus tantummodo uti debemus; videlicet lenientia ex conserva pulpae casiae cum pulvere liquiritiae, et nitro corollato desumpta, et manna cum sero lactis, aut similia blande admodum lassativa.

Absorbentia vero in hoc morbo curando a medicis adhibita fuerunt, videlicet ex ostreaceis, ex oculis cancrorum fluviatilium, ex bollo armeno aliisque similibus.

Adstringentia quoque remedia proposita fuerunt, inter quae decoctiones plantarum et stipitum adstringentium, et praesertim corticis peruviani: item aluminosa, videlicet aqua aluminosa Falloppii, sic dicta *della Brandola*, et similia. Opiata etiam non sunt omittenda caute exhibita, inter quae extractum seminum hyoscyami laudatur, et extractum opii, aliaque ex opio ipso parata remedia, et denique oleum croton tilii, ut cum successu a Brera fuit adhibitum.

Si vero morbus consumptionem aegrotantis inferre videatur, tunc relictis omnibus aliis remediis, ad ea praesidia confugiendum est, quae ad phthisim curandam adhibere solemus: hinc primum locum ad hoc perficiendum tenet, si fieri potest, incrassantia, glutinosa, gelatinosa et praecipue lacticinosa omnia, jura stipata, carnes juvenum animalium, lac vero cum aqua Brandulae conjunctum, aut cum aqua thermali montis Orthonis, tandem ipsa diaeta lactea exquisita, et ad longum tempus protracta.

Si vero morbus ad meliorem conditionem se vertat, tonus viscerum chylopojeticorum restituendus erit. Hinc martialia suppeditari possunt, rhabarbarata, et ipsae aquae acidulae minerales, ut aeger restauratis viribus stomachi, iterum nutriri possit, et ad optatam valetudinem perduci.

THESIS PRIMA

Diabetes in juvenibus, et a levioribus atque externis causis productus, curari potest; in senibus vero incurabilis evadit, et ipsos ad certam necem perducit.

THESIS SECUNDA

Si in Diabete stomachi vires ita debilitentur, ut chylosae ipsae substantiae parum, aut nihil immutatae per vias urinarias secernantur, aeger ad tabem atque consumptionem certissime conducitur.